



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Purjurii poenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

I I. (b) Talem & tantam urbem, quam *Pietas* ædificavit, *Perfidia* deiecit.

----- Columen eversum occidit
Pollentis Asia, cœlitum egregius labor.
Everfa est Pergamos, incubuit sibi,
Et alta muri decora congesti jacent. Seneca in Troiad.

Et Maro 2. Æneid.

Hic ubi disjectas moles, avulsæque faxis
Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridente
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit.

In causa periurium Laomedontis; de quo Venusinus lib. 3. Od. 3. Junonem loquentem inducens

----- Ilion, Ilion,
Fatalis, incestusque Judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destruit Deos
Mercede pacta Laomedon.

Bis fidem fefellit rex fraudulentus, primum Neptuno & Apollini ob non solutam mercedem: Deinde Herculi ob denegatos equos promissos. Sed magno stetit perfidiosa lingua auctori suo, nam Neptunus e-luvionibus, Apollo pestilentia, Hercules armis in habitatores grassatus est, & subsequente tempore regia familia, urbs, & regnum totum à Græcis eversum. Verè Horatius.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Et quæ perfidè dicta, factæque sunt, in seram posteritatem supplicium extendunt. Nihil indignius est Principe, quàm mentiri. Aristoteles dixit *Mendactum esse servorum*. Est enim abjectissimi animi, fallere, & venalem habere fidem. Juxta Isocratem: Omnis principis sponsio pro jurata esse debet, & sacrosanctum promissum. Et Prov. 17. *Non decet Principem labium mendax*. Fides, Justitiæ fundamentum est, inquit Tullius in offic. Et seneca epistol. 49. Fidem sanctissimam humani pectoris bonum vocat; unde non audiendi pseudopolitici

Quis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio est, ut ait Aristophanes. Qui impiam illam vocem ex Euripide, etiam à Julio Casare usurpatam, recoquunt.

(b) Perjuris pœna.

----- 116